Reverendo praestantissimoque Viro, DnO Sebastiano Hetzgero, Scholae Sangall. Rectori & Ecclesiae ministro vigilantissimo, amico honorandissimo.

Franco.

Sangallen.

111.

S. P. Dn. Hotinerus impensas, quae in Typographia faciendae fuerunt, Praestantiss[ime] & amiciss[ime] Vir, bona fide dissolvit. Mihi Gallicanum thalerum, cujusmodi numi nunc fere in n[ost]ra Helvetia in usu sunt, honorarii loco misit. Probe autem meministi me tibi significare, cum Vaporitior ejus mitterer, nil tale a me expeti. Non soleo amicis opellam & officiola vendere. Proxime redibit ad vos Abieticida Argentoratensis mataeologus, cum ἀφοσ-ιώσει περιστιπτικῷ, speciminis fidei ipsius ac candoris, a me ad futuram Galli Synodum ἐντεύξεως χάριν concinnatis & forte etiam cum uno alterove anagrammatismo, ac epigrammate. Est mera Sophismatum & mendaciorum sentina cacatum ejus scriptum. Scripsi de illo ad Dn. Duraeum in Angliam, a quo & responsum accepi. Si plures hoc spiritu, quo Abieticida ille, regunt, nae laterem bonus noster Duraeus lavabit, et littora bobus non iterum arabit. Accedit Suecico-Danicum bellum, singulare diaboli, et satellitum ejus, Antichristianorum, strategema, conatui ipsius impedimenta afferens non exigua. Caeterum magis sollicitum me reddunt res domesticae. De Papistarum Abbatiscellanorum insigni humanitate & pacis studio tute quidem scribis. Sed non ita se tractant vicini nostri, Non obscure prae se ferunt, bellum futurum, non pacem; armis se sumptuum restitutionem expressuros, si nostri renuant. Et renuent profecto, nisi seditionem, bello multo perniciosiorem, velint excitare. Heri tristem sensimus casum. Pars inferioris pontis prope officinam Schufelbergeri nostri ruinam fecit ante prandium, ingente hominum multitudine ob nundinas & hebdomadarias & anniversarias ibi agente. Ruinâ illâ non pauci in lacum deciderunt, subterlabentem Limagum. Septem vel octo in aquis perierunt. Nocumentum hoc documento erit, ut dehinc pontium accuratior habeatur ratio. Rogandus est Deus Pater Dn. N. J. Ch. ut ejusmodi mala a nobis avertat, & Ecclesiam suam inter nos clementer & potenter asserat ac conservet. Vale, & Vener. Dn. Symmystis, inprimis Ven. Dn. Decano, officiosiss. meis verbis dic salutem. Tig. 19. Sept. 1657. quo ipso LXVII. annum ingredi incipio.

T. T. Joh. Wirtzius.

S. P.

Credo ad te pervenisse, Vir Praestantissime, Höggeri nostri parentis tui una cum literis ad ipsum, adeoque redditum ipsi. Typographo de meis pecunijs satisfeci. Exspecto restitutionem sumptuum meorum. Bene est, si ad nutum ipsius adeoque tuum etiam habet parentior. Plura adhuc ab amicis sunt comportata & seorsim typis excripta, quae haut dubiè vobis quoque ostendent. Habeo heic, quod in sinum tuum effundam. Generi mei Altmo-vicensis pastoris privignum arti aurifabrili apud nos discendae addictum fuisse, fortè non ignoras. Ille biennio jam apud magistrum exacto ante septimanas tres, nemine salutato, discessit et excessit. Quo autem sese contulerit, cum ignarissimis ignoramus, nec rescire hactenus potuimus, quanquam omnem movimus lapidem. Metuimus ne in coenobium aliquod apud vicinos Papalistas se receperit, ex conjectura aliqua. Astutissimè hunc excessum texit, ut ne tenuis quidem suspicionis umbra de eo fuerit. Quin mater, quae propè à partu abest, magnum inde percepturus sit dolorem, nulli dubitamus. Nolim autem hoc in vulgus apud vos spargi. Nosti, semper offendi ἐπιχαιρεκάκους, cum Christiani pectoris sit in afflictionibus συ-σύμφωνον συμπάσχειν. Basileâ M. Zuingerus, τοῦ μακαρίτου Antistitis filius, Gr. Ling. Prof. ad nos scripsit, famam Basileâ Argentorato emanâsse, Dannhaueri dicteriis contumeliosis hominibusque invisum factum à Magistratu Arg. prohibitum. De Wirtembergicis Cl. Hottinger literis hac septimana ad me exaratis refert, quod & tolerantiam, & moderationem in scriptis ac concionibus obtulerint. Si eadem Saxonicis Theologis mens foret, rana illa Argentoratensis coaxationibus suis non multum proficeret. De rebus nostris aliàs. Abbas vester strenuè pergit in armilustriis & tyrannide erga Toggios. Utinam sibi malum caveat. Vale Vir amicissime, ac saluta Dnn. Symmystas. Tig. 22. Aug. 1657.

T. ex animo

Ulrich.

Rever. ac praestantissimo Viro, DNO Sebastiano Höggero, Scholae Sangall. Rectori, & Ecclesiae Sanctiss. [?] vigilantissimo amico & fratri in Christo perquam amanter colendo.

Sangallum.